

in Deo quicquid est auriū, & quicquid oculorum, & reliquo-
rum seniū. & audi omnia verba Sancherib qua misit vt expro-
baret nobis Deum viuentem. Iuxta Hebræum habetur. ad vitupe-
randū Elohim viuum. directe enim cōtra summum Deū inue-
hebatur. Vere domine: vastauerūt reges Assur gentes & terras om-
nium. Legendum est. & terram carum. sic enim habet He-
braicē. Et miserunt deos eorum in ignem (quia nō erant dī) sed ope-
ra manuum hominum, lignū & lapis) & perdidérunt eos. Nūc igitur
domino Deus noster saluos fac nos obsecro de manu eius: & sc̄i om-
nia regna terre quōd tu es domin⁹ deus solus. Hebraicē habet. Elo-
him solus tu. quēadmodū etiā superius scribitur cū dicitur tu
es Deus solus, tu ipse Elohim solus tu. solus enim fōs effendi
est Elohi (hoc est gubernator & iudex) vniuersorū regnorū.

Mīst autem Iesah' iahū filius Amoz ad Chirzī iahū dicendo:
sic dicit dominus Deus Israhel, quā deprecatus es me sup San-
cherib regē Assur, audiri. Nō est dubiū hūc esse Esaiam propheta-
tam cuius præclarū habemus librū. & nō interrogatus mittit
ad regem, per hoc manifestans Deū reuelasse sibi exaudito-
rem orationis Ezechiæ. Hoc est verbum quod locutus est dominus
super eū: sp̄ecū te subsannauit te virgo filia Z̄ion, post te caput mo-
nit filia Ierusalaim. Ad populū Ierusalē dirigit sermo p̄pheti-
cus. illū enī appellat virginē filiā Siō, filiā Ierusalē metapho-
rico sermone, instar puellæ virginis penit⁹ imbellis sp̄etū &
irritum à rege Assyriorū. Cui exprobasti & quē blasphemasti.
Iuxta Hebræum habetur. Quem vituperasti & iniurias es, &
super quē exaltasti vocem? A postrophat propheta ad ipsum Sā-
cherib, pro quāto aduersus summū Deū verba protulit & per
nūcios & per epistolā. & eleuasti in excelsum oculos tuos. De in-
ternis mētis oculis est sermo, q̄ eleuauerit eos supra deū de-
spiciēdo diuinā potentia. cōtra sanctū Israhel. Legendū est. super
sanctū Israhel. hoc est summū Deū veneratū ab Israele, verē
sanctū mundū ab omni imperfectione. Per manū nūciorum tuo-
rum exprobasti domino. Hebraicē habetur. vituperasti Ichouah.
Eūdem declarat esse fontē effendi & sanctū Israhel: hoc est
actū putū cultū in Israhel. & dixisti, in multitudine currūm meo-
rō ascēdi excelsa montū. Metaphoricus est sermo iste, significā-
do per mōtes excelsos, potentatus. in summitate Libani. He-
braicē habetur. coxas Lebanon, hoc est sustentantia excelsorū
quēadmodū coxis innititur corpus. & succidi sublimes cedros
eius & electas abietes eius. Gloriabatur in potentia exercitus
inuasisse

inuasisse potētatus magnos. & cedros & abietes (hoc est ma-
gnos principes) succidisse: vt in epistola eius scriptū erat. &
ingressus sum vsque ad terminos eius & saltum Charmeli eius. Iux-
ta Hebræum habetur. & veni in cubiculū finis eius, syluā Char-
meli eius. Non solū principes succidisse, sed etiam vniuersa cu-
bicula penetrasse, quasi syluam delitiarum omnium gloria-
tur. Ego succidi. Hebraicē habetur. Ego canavi & bibi aquas ae-
lienas. Instar cauantis terrā & sic peruenientis ad aquam sub-
terraneam alienam ab humanis v̄sibus, gloriatur fe occultis
potitum fuisse thesauris, alienis olim ab humano v̄su: vt pote
reconditis ab eorum dominis, sed prolati vi armorū. & siccā-
ui vestigia pedum meorum omnes aquas clausas. Iuxta Hebræum
habetur. & feci destrui in planta passuum meorum omnes rinos for-
titudinis. Auxiliares copias sonant riui fortitudinis; quas de-
struxisse se gloriatur peruagando, sicut riui aquarū destruū-
tur ambulando super eos.

Nōnne audisti. Deficit. à longe. Deum loquētem ad Sanche-
rib introducit propheta nunquid non audisti à longe. Et di-
cendo à longe, insinuat se loqui de re gesta in loco certo cu-
ius fama extensa est ad partes remotas. de huiusmodi enim
rebus dicimus nunquid non audisti à longe: hoc est in distā-
ti regione. quid ab initio fecerim⁹ ex diebus antiquis plasmari il-
lud. Iuxta Hebræum habetur, ipsam feci in à diebus antiquitatis,
& formauī ipsam, ita iacet in hebræo. Res audita à longe à re-
ge Assur explicatur: videliciter quod ipsam gentem Israeliticā
ego Deus feci in tēpore à diebus antiquitatis. Et dies anti-
quitatis dicitur dies ab Abrahā segregatione vsque ad exitū
populi de Aegypto. totū enim illud tempus suppatur tēpus
quo factus est Israhel in populū liberum: & hoc publica fama
diulgatum erat ad remotissimas orbis partes. Alterum quo-
que similiter diulgatum adiungitur, & formauī ipsam. ego
siquidē Deus gentē formauī lege mea in mōte Sinai:
hēc enim duo audita erant à lōge ab aliis nationibus. Et in
hac formatione cōprehenditur illud valde peruulgatū quod
etiā ī lege scriptū est: videlicet q̄ Israelitis seruātib⁹ legē Dc⁹
assisteret, p̄spēra efficiēdo: recedētibus autē à Deo De⁹ ades-
set puniēdo. vnde & Achior corā Holopherne audita hēc re-
tulit: vt ī lib. iudith scri. Cōmemorat igitur de⁹ q̄ ipse pecu-
liarē curā Israeliticę gēris habuit: vt hinc intelligat Sācherib
vt nō gloriet in fortitudine exercit⁹ sui, sed agnoscat diuinę
dispen-

Q V A R T I R E G.

dispensationis fuisse quodd gens Israelitica post tot victorias tantamque eminentiam in terra promissionis tradita sit in manus regum Assur. Et propterea subiungit. & nunc adduxi. Iuxta Heb: habet. nunc feci venire ipsam. & eis ad faciendum desolare in aceru desertionū ciuitates munitas. Quod tu gloriaris fecisse in fortitudine exercitus tui aduersus Israeliticam gentem. scito me fecisse. ego enim nunc moderno tempore feci venire ipsam Israeliticam gentem ad hoc quodd erit ad faciendum meritorie desolare proprias ciuitates munitas in aceruos desertionum. Et verificatur deum fecisse haec quo ad malum quidem culpæ relinquento eos proprio arbitrio. quo ad malum vero pœnae efficiendo. Futurum autem erit. relativus ad præteritum feci venire intelligendum est. respectu enim diuinæ permissionis optime significatur futura punio: prius enim Deus permittit peccatum. & poste punit. Loco quorū verborum vulgata æditio habet. erantq; in ruinam collisum pugnantim ciuitates munitæ. Quod autem sequitur. Et qui sedent in eis humiles manu. non longe ab Hebraicæ est veritate: iuxta quam habetur. Et habitatores eorum breviæ manus. continuatur enim quodd erit etiam ad hoc quodd habitatores ciuitatum decurtabuntur manu: hoc est potestate. vt experientia testabatur. vna enim ciuitas non poterat succurrere alteri. contremuerunt & confusæ sunt. Prima dictio sonat passos fractionem. secunda autem passos pudorem. Nō solum minorata est potentia Israelitarum. sed etiam ipsi fracti. & verè fracti in illis paruis viribus remanentibus: vereque pudore affecti. humiliatis eoru mulieribus ab hostibus. facti sunt sciam agri. vtile duntaxat bestiis. & vires herbae tectorum. Iuxta Hebrei vobis habetur. & viriditas herbarij sciam tectorum. Minus vtilis est viriditas herbarij quam herba agri: quoniam herba agri vtilis est pecoribus. viridis & siccæ: viriditas autem solo viriditatis tempore seruit. Peior autem ambabus est herba recti. quæ nec etiam brutis animalibus vtilis est. que arefacta est antequam veniret ad maturitatem. Iuxta Hebreum habetur. & rta ante segetem. Dictio interpretata vsta. circuloquitar percusionem à vento vrente factam circa frumentorum culmos antequam impleantur spicæ. assimilantur siquidem Israelitæ his quatuor differentiis herbarum. ad insinuandum quodd omnes (ut pote inutilis rationali vita. quæ secundum deum est) puniti sunt: alii quidem ut herba agri. hoc est adducti vita brutalis;

alii

C A P V T X I X.

319

alii ut viriditas herbarii. addicti vanitatibus: alii ut herba tectorum. in vana celsitudine: alii qui videbantur fructum allati. vrente vento humanæ gratiæ nullum afferentes fructum: quales erant multi principes viidentes miracula Eliç & Elisei & aliorum prophetarum. & cōfidentes summi Dei veritatem factis autem negantes ob humanam gratiam.

Habitationem autem tuam & egressum tuum & introitum tuum. Declarata propria cura populi Israeliticæ. deus consequentes declarat quodd ipso Sancherib vtitur deus vt instrumento. manifestando qd nouit omnes actiones & quietes eius. ego praescini. iuxta Hebreum habetur. scini. Et est sermo de notitia practica: hoc est qua gubernat Deus singula. declarat enim quodd sua gubernatione disposuit ipsius Sancherib tum quietem. cum egredi. tum ingredi. & futorem tuum contra me. hunc enim quatenus peccatum. permisive disposuerat: sed quatenus puniendum. disposuit vt subiungit. In fanisti in me & superbia tua. Iuxta Hebreum habetur. pro eo quod iratus tu in me. & tumultus tuus ascendit in aures meas. Vere aduersus Deum insurrexerat & tumultuosus fuerat epistolis & verbis Rabfacis. ponam itaque circulum. Parui refert quodd Hebraicæ habetur. & ponam hamum meum in naribus tuis. instar bubalorum. & canum. Legendum est. & frenum meum in labiis tuis. instar equorum. declarans per hoc quodd non minus subditus est Sancherib ipsi Deus quam equus freno sefforis. & bubalus hamo vertentis ipsum. & redire faciam te per viam qua venisti. Ecce effetus qui postea subsecutus est.

Tibi autem Ezechia hoc erit signum. Iuxta Hebreum habetur. Et hoc tibi signum. cætera addidit interpres. ad declarandum quodd pronomen tibi demonstrat Ezechiam regem ad quem vniuersam hanc prophetiam misit Esaias. Et dicendo signum. insinuat miraculum præcedens futuram libertatem à rege Assyriorum: vt videndo hoc subiunctum signum antecedens. credit subsequenter libertatem. comedere hoc anno quæ reppererit. in secundo autem anno quæ sponte nascentur: poro in tertio anno seminate & metite. Iuxta Hebreum habetur. comedendo anno cadiua. & in anno secundo nascentia ex cadiinis: & in anno tertio seminate & metite. & plantate vineas & comedite fructus eorum. Ex eo quod usque ad tertium annum differtur seminare & metere. habetur primo qd biennium fluat à tempore quo rex Assur misit epistolam supradictam ad Ezechiam post quā Esaias

QUARTI REG.

Esaias protulit hanc prophetiam vñq; ad libertatem Ierusalēm, occisis vna nocte centū o^togintaquinq; millibus. Habetur secundo quod in hoc biennio medio Ierosolymitæ nec erant obfessi, nec erāt liberi, sed medio modo se habentes. nā si fuissent penitus obfessi, non potuissent vesci ex cadiuis primo anno, & ex ortis cadiuorum secūdū anno: obfido siquidem vetuisset colligere eos hāc: & si fuissent penitus liberi, potuissent seminare & metere, nec dilata fuisset seminatio & messis in tertium annum, medio igitur modo (hoc est nec penitus obfessi nec penitus liberi) significatur futuri per biennium. Rationi siquidem consentaneum est quod rex Assyriorum in omnibus ciuitatibus Iudæ quas ceperat reliquerit præsidia militum, quanvis reuocando exercitum ab obfisione Ierusalem ut vñitum haberet exercitum aduersus regem Aethiopiam venientē contra se. milites autem in præsidii relisti quanvis non sufficerēt ad obfisionem Ierusalē, sufficiabant tamen ad terrēdum eos & retrahēdum à seminatione, & reliquis actionibus agriculturæ: quoniam facile fuisset exerciōibus sata omnia destruere, & etiam ipsos agricultores inuadere. Consistit autem signum diuinum à propheta datum, in hoc mirabili diuinæ gratiæ opere, quod absque noua seminatione colligent frumenta sufficientia ad eorum vīctū: videlicet comedendo anno illo cadiua: hoc est frumenta que ex calcatis & concussis agris satis, ab hostibus remāserunt non metēd sed casura per seipsa. tam pauci siquidem & tam rari culmi frumentorum perducendi erant ad fructū: ut ab hostibus pro nihilo haberētur, & à Ierosolymitis non essent meten. li sed colligendi: & propterea vniuersum hoc hebraicetiam appellatur cadiuum, eo quod non messui sed casui relinquebantur grana illa pauca ab hostibus, & similiter cuius reliqua fuissent à Ierosolymitis tēpore libertatis. Et ad cūmulū miraculi adiungitur q; secundo anno ex granis que cederunt in terrā tanquam reliquiis primi anni nascentur tot frumenta q; sufficient ad vīctū pro secūdū anno. Verè mirabile opus diuinæ gratiæ, & verè signum sufficiens futuræ libertatis datum est. Et quod reliquā fuerit de domo Ichude, addet radicem deorsum, & faciet fructū sursum. Prosperitatē reliquiarum populi Iudæ prædicendo describit ad similitudinem plantarum, que radicantur subter, & fructificant in parte superiore: ut vtrinque prosperitas significetur, & quo ad terrena

CAPVT XIX.

320

terrena, & quo ad diuina. De Ierusalaim enim ergidentur reliquie, & salutatum de monte Zi'ion. Dixerat prosperitatē dominus lude, adiungit prosperitatē in specie ciuitatis Ierusalē: qua sola remanserat non subdita regi Assyriorum. zelus domini exercituum faciet hoc, non merita vestra, sed zelus diuinus (zelus inquam diuinī nominis blasphemati ab Assyriis) faciet vniuersum hoc. Quamobrem sic dixit dominus de rege Assur: non ingredietur ciuitatem hanc, nec iaciet in eam sagittæ, nec occupabit eam clypeo, nec circūdabit eam munitio. Iuxta Hebræū habetur, & non versabit super eam agerem. Non solum libertatem promittit, sed etiam non futuram obfisionē ciuitatis Ierusalem, negotio enim obfisionis significatur per nō tactum sagittæ, & reliquias negationes subiunctas. Per viam qua venit, reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur. Hebraicē habetur. & ad ciuitatem istam non veniet: dicit dominus, ad literam enim prædictitur personam regis non venturam ad obfisionem. Et verificatum est: quia persona regis non fuit inter illos centū & octoginta millia percussos. Protegamus ciuitatem hanc ad saluandum eam: propter me & propter David seruum meum, nō propter vestra merita sed propter merita Davidis & propter gloriam nominis meis saluabo ciuitatē hanc. Et hinc habes quanti pendit Deus merita sanctorum etiam defunctorum, in iis quæ reliquerunt post se. ciuitas enim Ierosolymitana à Davide primum est erecta in ciuitatē, tum diuini templi, tum regiæ sedis: & propterea tanquam sanctum opus Davidis protegendū & saluandum à se promittit Deus.

Factum est igitur in nocte illa. Hebraicē habetur. Et fuit in nocte illa. Interpres semper ferē vtitur factum est, pro fuit. Pronomen autem illa seu ipsa, demonstrat noctem sequētem aduentum exercitus Sácherib post biennium à supradicta prophetia. prædixerat enim propheta quod biennio futuri erant Ierosolymitæ nec penitus obfessi, nec penitus liberi, tertio autem anno penitus liberi absque obfisione ita quod reuertetur rex Assyriorum & occidetur in terra sua. & in hoc cōprehensum est quod iterum venturus esset contra Ierusalē, sed non obfessurus, sed reuersurus in terram suam occidēdus. Et propterea author libri hoi^r recitata prophētia, statim subiuxit & fuit in nocte ipsa: quæ videlicet immediate secura est aduentū exercitus regis Assyriorū ad obfidēdū Ierusalē. venit angelus domini. Parui refert q; hebraicē habetur, & exiuit angelus

QVARTI REG.

angelus Iehanah & percusit in castris Assur centum & octoginta quinque millia . Verè adimpta narratur prophetia quod nec recit sagittam nec obsedit : vtpote qui statim percussus est à Deo . Qualitas autem percusionis huius non est vsquequam certa: creditur tamen fuisse adustio citra resolutionē corporum in cineres . & quadrat tum salubri aeti pro Ierosolimitis , tum seruationi spoliorum pro eisdem . cumq; diluculo surrexisset , vidit omnia corpora mortuorum . luxta Hebraeū habetur , & surrexerunt diluculo . & ecce omnes ipsi interfeci mortui . Ex eo quod prima nocte occisi sunt exercitus qui venerat ad Ierusalem , insinuat quod rex Assyriorum personaliter non veterat ad locum exercitus , sed more regum sequebatur venatus post ordinatum exercitum ad oblationem ciuitatis . & de illis qui cum rege erant , narratur quod surrexerunt mane diluculo & apparuerunt eaduera omniū interfectorum qui erant in exercitu . Et hinc clarè habetur quod non fuerunt in cinerem resoluta corpora . Nec dicitur regem Assur vidisse corpora mortua , sed subiungitur . Et mouit , & iuit , & reuersus est Sächerib rex Assur . aūc . n . audiuit auditionē tantæ plagæ , & spiritu reuertendi in terram suam actus est iuxta Esaïe vaticinium : & sic libertatem omnimodam adepta est Ierusalem : & milites qui fuerant in præsiis , cōuenierant ad exercitū : vt plena esset libertas , vt Esa . 9 . patet . dū assimiliatur hæc victoria diei Madian tēpore Mosis &c . & habitauit in Nîne . Cnq; adoraret in domo Ni' roch Dei sui , Ad' Ramelech et Sar' exr . filij eius percusserunt eum gladio . Ecce adimpta penitus propheta Esaïe . fugerantque in terram Ararat : & regnauit Ezechias don filius eius pro eo .

CAPUT XX.

In diebus illis agrotauit Chizzi iahu . Iunge tempus suprascriptū ca . dēcimōctauo (videlicet q; anno quartodecimo regni Ezechiae ascendit prima vi ce Sanherib aduersus Ierusalē & misit R absace & successiū epistolam) cum infrascripto tempore , videlicet quod post hanc ægritudinem vixit Ezechias annis quindēcim : & perpendes manifeste hanc ægritudinem Ezechiae fuisse eodem anno quartodecimo , quo comedebant cadiua . nam Ezechiae regnum duravit annis vigintinouē : vt in principio eiusdem decimōctaui capituli dicitur . cum ergo dicitur in diebus illis ægrotauit Ezechias , pronomen illis demonstrat

dies

CAPUT XX.

321

dies medios inter prophetiam Esaïe accepta epistola Sächerib & redditum Sanherib ad obsidendum Ierusalem . Et ex hac clara supputatione habes unde conuincas fabellas multas . vsque ad mortem : hoc est ægritudine mortali . venire ad eum Iesah iahu filius Amoz propheta & dixit ei : sic dixit dominus . p̄cipē domini tuē hoc est p̄cipiendo dispone fnoritrus quæ circa domum tuam ordinanda sunt . moriens enim tu . Parviferef q; hebraicē habetur . quia mortuus tu & non viues . intelligit enim quod pro mortuo haberis . Et verū dixit secundum dispositionem causarū naturalium p̄sens . manifestauit enim Deus quod ægritudo illa secundum naturalem dispositionē quam tunc habebat , ducebatur illum ad mortem .

Qui veritatem faciem suam ad paritem . vt collecto toto spiritu deuotius oraret , non impeditus à visu aliorum . & orauit ad dominum dicendo . Hinc apparet quod recte intellexit sermonem domini per prophetam . intellexit enim non vt prophetiam p̄destinationis , sed comminationis : & propterea spectaculo mutationem diuina sententia supplicauit pro vita propria . Obsero domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te . Parvi refert quod hebraicē habetur . qui ambulauit coram te in veritate & in corde perfecto . & quod bonum est in oculis tuis feci . Si quisquis non absolute , sed quatenus ambulauit coram Deo (intus quidem tum in veritate quo ad partem intellectuam , tum in perfectione cordis quo ad partem affectuum , extra autem faciendo bona opera) recordationē proponit Deo supplex : non vt merita ex propriis viribus , sed vt merita ex diuina gratia in eo proponat ad obtinēdam protogationem vitæ . tum quia verè opera eius ex diuina gratia merebantur longe maius quam prærogationem vitæ corporalis . tum vt tolleretur occasio relinquendi viam Dei videntibus ipsum mo : i absque liberis cum tanta sanctitate : firmassent enim etrem illum quod seruientes Deo mala patiuntur . tum innixus promissiōnī legis : in qua sectantibus Deum temporalis prosperitas multiplex promittitur . scilicet que Chizzi iahu fletu magno .

Et antequam egrederetur Iesah iahu medianam partem atrū . Iuxta Hebraeū habetur . à ciuitate medij sed Hebraica phrasis vertenda est , & intelligendum à medio ciuitatis . Et est sermo de ciuitate Dauidis : hoc est de monte Sion . adhuc enim recebendo non transferat medium montis Sion . factus est sermo

§f domini

Q V A R T I R E G.

domini ad eum dicendo. Reuertere & dic Chirz'iahu duci populi
mei: Meritum Ezechię commemoratur in hoc quod verè ex-
hibuerat se populi Dei rectorem ac ducem: per hoc manife-
stans deus placuisse sibi restitudinem. Ezechię sic dixit domi-
nus deus David pater tui. Ideo cōmemoratur Dauid pater Eze-
chię, vt intelligamus Ezechiam ideo orasse & fleuisse ne ip-
se primus inter reges filios Dauid morererur, absq; filio suc-
cedente super solium Dauid: putabat enim ex regali illa li-
nea nasciturum promissum Abrahæ & Daudi Messiam: &
valde tristabatur quod ipse excluderetur ab hac genealogia
qui verè erat filius Daudis, ut poten̄ solum genere sed imita-
tione. audiū orationem tuam, vidi lachrymā tuam: & eccō sa-
nauit te. Iuxta Hebræum habetur. ecce ego sanas te. quanvis æ-
gritudo sit dicens te ad mortem, ego tamen qui supra natu-
rales dispositiones sum, sanō te. die tertio ascendes domum domi-
ni. Nō subito sanauit Deus, sed in diem tertium distulit per-
fectam sanitatem distribuens dona sua prout vult. Subiuncta
tamen insinuant rationem dilatæ sanitatis fuisse vt daretur
occasio petendi signum & multiplicandi mirabilia Dei ad
augmentum gloriæ diuini nominis. si enim statim fuisset sa-
natus, non postulasset signum. Et addam diebus tuis quindecim
annos, & de manu regis Assur liberabo te, & ciuitatem hanc: &
protegam ciuitatem istam, propter me & propter Dauid seruum
meum. Ex futura liberatione de manu regis Assyriorum, e-
tiam comprobatur quod pendebat adhuc redditus regis Af-
syriorum communis. vnde & repertuntur verba in priore
prophetia dicta: videlicet propter me & propter Dauid ser-
uum meum. Dixitque Iesah'ahu, afferte massam sicuum. Ut
tutur deus propheta etiam vt medico, inspirando vt caricas ad-
hibeat loco ægritudinis: vt per hoc Ezechias magis incite-
tur ad petendum signum, considerando quod medicina ca-
ricarum non erat allatura illi perfectam sanitatem infra tri-
duum. & attulerunt & posuerunt super vltus eius. Hinc habetur
ægritudo innata sed nō locus ægritudinis. & curatus est. Iux-
ta Hebræum habetur. & sanatus est. non tamen statim sed die
tertio.

Dixerat autem Ezechias ad Esaiam. Iuxta Hebræum habe-
tur. Et dixit Chirz'iahu ad Iesah'ahu. Non significatur
quod ante medicinam caricarum manifestatam Ezechias pe-
tierit signum, quod erit signum quod sanabit me dominus, & quod
ascendam

C A P V T X X.

323

Ascendam die tertio domum domini? Superfluit erit. Promiserat
sanitatē à Deo & perfectam in die tertio: & propterea utrius-
que petit signum. Nec peccauit petendo signum, tū quia imi-
tabatur Abraham: tum quia reprehensus fuerat pater eius A-
cham ab eodem Esaiā propheta, eo quod noluisse petere si-
gnū: vt scribitur Es. 7. Petuit ergo Ezechias signum nod
incredulus, sed ad multiplicandum gloriam diuini nominis.
Cui ait Iesah'ahu: hoc tibi signum à domino quod faciet dominus
rem quam locutus est, vis ut ascendas umbra decem lineis, aut ut re-
uertatur totidem gradibus: Iuxta Hebræum habetur. iuit umbra
decem gradibus, an reuertetur decē gradibus? sic iacet in Hebræo.
Affirmat propheta in horologio solari iuisse umbra iam per
decem gradus: & optionem dat an velit Ezechias pro signo
regressum umbra per decē gradus, vel progressum eiusdem
decem gradibus. Mutilo autē sermone scribitur data optio,
scribendo unicum optandum. testatur enim responsio Eze-
chię subiuncta, quod duorum optionem propoluit prophē-
ta Ezechię.

Et ait Chirz'iahu: facile est umbra crescere decem lineis, nec ho-
volo ut fiat, sed ut reuertatur retrosum decē gradibus. Iuxta Hebr.
habetur: leue umbra inclinari decem gradibus, nō quod reuertetur
umbra retrosum decē gradibus. Hæc responsio clare manifestat
optionē Ezechię datam: & non elegisse ipsum progressum
umbra per decē gradus dicendo non, sed regressum per gra-
dus decem subdendo qđ reuertetur umbra decem gradibus.

In quibus quo ad formā horologij, appetit in primis quod
horologium hoc solare erat: utpote in quo umbra solis erat
monstrans horas diei. Deinde qđ per gradus distinctæ erant
partes recipientes & monstrantes umbra. Gradus autē intel-
ligo pictos seu fabrefactos: sic vt per modū ascendens um-
bra progrederetur vñq; ad meridiem, & per modū descendē-
tis umbra progrederetur à metidiis vñq; ad noctem, hoc enim
insinuat verbum inclinati, dicente Ezechia, leue umbra in-
clinari: hoc manifestat nomē graduum. Habetur tertio quod
singuli gradus nō monstrabāt singulas horas neq; maius té-
poris spatiū, sed minus. quod ex hoc conuincitur quod vi-
ginti gradus umbra erant in horologio illo, vt verba Esaiæ
ad Ezechiam testantur: alioquin non fuisset data optio pro-
gressus umbra decē gradibus, vel regressus decem gradibus.
certum est enim & quod umbra non sunt nisi sole existente

Sf ij sup̄a

QVARTI REG.

supra terram, & quodd in Ierusalem nūquam dies excedit tēpus quindecim horarum: cū in quarto sit climate, in quo maximus dies dimidiā supra quatuordecim horas nō excedit: impossibile est igitur viginti gradus vmbre solaris respōdisse singulis horis partientibus diem naturalē in partes vi-gintiquatuor æquales: minus ergo spatium quam vnius horæ respondebat vmbra vnius gradus in illo horologio. Quo ad miraculū vero habetur in primis quodd data optio progres-sus vel regressus intelligitur subito seu in momento tēporis: hoc est q̄ in momento temporis progredivit vmbra per de-cem gradus vel in momento tēporis regrediat per decem gradus. Et hunc esse literalē sensum, ex eo patet q̄ alioquin nullū promississet miraculū in progressu vmbrae: nam secun-dum naturalē motum solis erat illo die vmbra per illos decē gradus reliquos progressura solito tempore. ex hoc igitur q̄ optio duorum miraculorū data est, habetur quodd de momen-taneo progressu vel regressu vmbrae per decē gradus fuit set-to. Habetur secundo ratio quare Ezechias dixerit leue vmbra inclinari. inter inclinationem siquidem vmbrae per de-cem gradus momentaneam & retrocessionem momentaneā per decem gradus hæc est differētia, quodd inclinatio quo ad rem erat naturalis, sed quo ad modum erat miraculosa: nam vmbram inclinari à meridiē in occidens est naturale & fit à natura, sed tali modo (videlicet in momento per gradus de-cem) miraculosum erat: retrocessio autē à meridiē in oriēs, nec quo ad modum nec quo ad rem potest à natura fieri. & propterea in retrocessione erat miraculū non solum in mo-do faciendi sed etiam in substantia facti: in progressu vero erat miraculum non quo ad substantiam facti, sed quo ad mo-dum faciendi duntaxat. & propterea Ezechias dixit leue est vmbram inclinari decem gradibus: leue dixit relative ad ar-duum regrediendi opus. Habetur tertio quodd ex hoc miraculo patrato tempore Ezechiae regreso sole per decem gradus, non crevit dies ille nisi decem graduum illius horologij spa-tio. quod esse minus decem horis manifestatum est. nam in momēto rediit per decem gradus vmbra solis, & postea soli-to tēpore per eosde gradus ascendit iterū ad meridiē. Et hinc clarissimē patet verum scriptū fuisse in lib. Iofug. q̄ nec ante nec post fuit dies tam lōgus sicut ille, tempore Iosuæ &c.

Clamauit itaq; Iesah' iahu propheta ad dominū: & reduxit vmbra

CAPVT XX.

323

brā per lineas quibus iam descenderat in horologio Achā, retrorsum decem gradibus. Iuxta Hebreūm habetur. & reuersa est vmbra in gradibus quos descendit, in gradibus Achā, retrorsum decē gradi-bus. Miraculū describitur q̄ vmbra reuersa est descendedo in gradibus, appositiuē in gradibus Acham (hoc est horologij solaris facti à rege Acham) & rursus appositiuē retrorum gradibus decem. singula enim declarantur singillatim.

IN tempore illo misit Berodach Bal' adan filius Bal' adan rex Ba-bel. Pronomen illo monstrat quidem tempus post hoc mi-raculum, sed non immediate post: tum quoniam peccatum Ezechiae commissum in aduentu legatorum regis Babylo-nis fuit, vt creditur, post plenam libertatē Ierusalem à rege Assyriorum: tum quia clare subiungitur Ezechiam mōstra-fse legatis istis argentum & aurum proprij thesauri, constat e-nim ex supra scriptis in cap. decimo octavo quodd thesaurus regius euacuatus fuerat vt daretur Sanherib. post igitur ple-nam libertatem Ierusalem & reconditos iterum thesauros tempus demonstratur, ab hoc autem miraculo usque ad ple-nam libertatē fluxit annus vnu, quintus decimus scilicet re-gni Ezechiae. Tam nomen autem regis quam titulus regni monstrat hunc regem nō fuisse regem Assyriorum. Sanche-rib enim successit Esrachadon in regno Assyriorum: vt in calce præcedentis capituli scriptum est, literas & munera ad Chizci' iahu honorando eū. audierat enim quodd agrotasset Chiz-ci' iahu. Mutila est relatio, significas regem Babylonis audis-se quodd propter Ezechiae ægritudinē sol retrocessisset. pro-pterea enim misit ad eum legatos cum literis & muneribus, vt certior redderetur de causā retrocessionis solis & modo quo res gesta est ex ore ipsius Ezechiae regis: vt in paralipo-menon suppletur, cap. trigesimo secundo. Et hinc appetet Ba-bylonios non solum admiratos fuisse viro regressu solis, sed sollicitos fuisse ad inquirendum causam: & cū audissent pro-pter ægritudinem regis Ezechiae factum oratione prophe-tx hoc fuisse, procurarunt à rege vt mitterentur legati ad sciendum hoc. Quocirca dubitandum non est scriptū à Ba-bylonis fuisse hūc mirabilem motum solis: sed perditū sunt libri non solum annalium, sed etiam astrologorū Babyloniorum & aliorum antiquorum. & propterea non est mirum si non inuenitur hoc scriptum in libris astrologorum quos habemus.

Sf iii Letatim

QVARTI REG.

Letatus est autem in aduentu eorum Ezechias. Iuxta Hebreum habetur. Et audiuit super eos Chizci' iahu. Hebrei audire p exaudire videntur: & propterea scribitur hic quod exaudiuit legatos Ezechias in eo quod petebat, manifestando eis tempus, causam, & modum rei gestae ad hoc ut sol retrocederet. & ostendit eis domum aromatum, iuxta Heb. habetur. & ostendit eis omnem domum reconditi sui. Hebraico more prius in genere describitur vniuersum monstratum, deinde descenditur ad species. & aurum. Hebraicē absque coniunctione subiungitur. argenteum & aurum & aromata & oleum bonum & domum vasorum suorum & omne quod fuit inventum in thesauris eius. Hac in specie enumerantur affirmatiū iuxta hebraicā veritatem: deinde immediatē subiungitur negativa. nō fuit res quam nō ostendit ei Chizci' iahu in domo sua & in omni potestate sua. Et per oleum quidem bonum significatur vnguentū pretiosum quo reges vtebantur in regione illa, ubi frequens erat vius vnguentorum. An autem per id quod dicitur in omni potestate sua comprehendantur monstrata etiam ea quae erant in templo perspicuum non est. nā hinc videtur affirmandū, eo quod sub potestate regis erant res tēpī: inde autem videtur negandū, eo quod superueniens propheta nihil dicit de rebus templi arguendo regem, quae tamen causa debuisse esse praeципua ad argendum regem.

Venit autē Iesah' iahu propheta ad regem Chizci' iahu, & dixit ei: quid dixerūt homines ibi & unde venerūt ad te? Interrogat p̄pheta non ut sciat, sed ut materia ipsem rex proponat propriæ reprehensionis. Dixit p̄ Chizci' iahu, de terra longinqua venerunt, de Babel. At ille respondit, quid viderunt in domo tua? Nihil dicit de tēpī: & propterea rationabilius videtur intelligendū quod Ezechias nō cōmiserit hoc sacrilegiū vt ad arcana templi admiserit ethnicos. Et hoc confirmatur per responsionē Ezechiae vt̄ tēs pronominē mea, dicēdo in domo mea, & similiter in thesauris meis. nullaque sit mētio domus domini aut thesaurorū domus domini. dixit p̄ Chizci' iahu, omnia que sunt in domo mea viderūt, nō fuit res quā non ostendit̄ eis in thesauris meis. Dixit itaque Iesah' iahu ad Chizci' iahu: audi sermonē domini. Ecce dies veniet. Parui refert quod hebraicē legitur. & enītēs propinquū enim mōstrantur dies futuri. & deferetur omne quod est in domo tua & que condiderūt patres tui usque ad diem hanc in Babel: non remanebit quicquam ait dominus. Impleta

CAPVT XI.

324

pletea fuit hæc prophētia post mortem Iosiae: vt in sequentiibus scribitur. Et de filiis tuis qui egredientur de te (quos generabis) tollent. Filii appellantur non immediatē ab eo geniti, sed mediātē. & hoc fuisse adimpletum scribitur Dani. 1. & erit enītēs in palatio regis Babel. Appellatione eunuchorū nō intellico castratos, sed eunuchos officio: ministros scilicet praeiūnos regis. Et ex hac poena appetet Ezechiam peccasse vanitatem cordis ostentando diuinitas suas.

Dixitq; Chizci' iahu ad Iesah' iahu, bonus est sermo domini. P̄cenitens rex laudat diuinam iustitiam nec excusat se. quem locutus est. Parui refert quod hebraicē habetur. quem locutus est. tu Esaia. sit tantum pax & veritas in diebus meis. Iuxta Hebreū habetur. & dixit, nonne si pax & veritas erit in diebus meis? Prius laudauit diuinam iustitiam relatiū ad poenam futuram in thesauris & in filiis: modō adiungit gratiarum actiones relatiū ad diuinū beneficium collatum personæ propriae in hoc quod in diebus eius non erit hæc punitio. Et est sensus, nonne gratia mihi sit, si pax & veritas erit in diebus meis? Et pax quidem refertur ad comminatum à propheta bellum inferendum à Babylonii: veritas autē ad ipsam prophetiam promittentem dilationem. Reliquam autem verborum Chizci' iahu & omnis fortitudo eius, & quomodo fecit piscinā & aquaductum & introduxit aquas in cīuitatem: nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Iehudæ? Multa hic commemorantur quæ ideo ignoramus quia libri in quibus gesta hæc scripta sunt, nō habentur. Dormiūtq; Chizci' iahu cum patribus suis: & regnauit. Menasses filius eius pro eo.

CAPVT XXI.



Ulius duodecim annorum erat Menasses cum regnare coepit. Hinc iusnūtatur quod Ezechias absque liberis erat tempore agritudinis suæ, postquam vixit annis quindecim. & quinq̄agintaquinq̄ annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Chephzi'ba. Fecitque manūlū in oculis domini: iuxta idola. Legēdum esset, sicut abominationes gentium quas expulit dominus à facie filiorū Israhel. assimilātur enim mala opera Menassis abominationibus expulsarū gentium. Conquerusq; est. Hebraicē habetur. Et reuersus est, quatenus rex rex enim lude recesserat in persona Ezechiae ab iis quæ

Si iiiij subiun-

subiunguntur, & reuersus ad hæc significatur in persona Menassis. & edificauit excelsa quæ dissipauerat Chizzi' iahu pater eius: & erexit aras Bahali & fecis lucum, sicut fecerat Ach'ab rex Israel, & adorauit omnem militiam cœli & coluit eas. Extruxitque aras in domo domini: de qua dixit dominus, in Ierusalaim ponam nomen meum. Et extruxit aras vniuersæ militie cœli in duobus atris domus domini. Et traduxit filium suum per ignem, & hario-latus est. Iuxta hebreum significatur obseruatio temporum. ita quod inter superstitiones Menassis supputatur obseruatio temporum, & obseruabat auguria. Hebraice incantatio significator. & fecit Pythonem & Aruspices. Rectius diceretur. Magos, quædam enim magicae artis species significatur. multiplicauit facere malum in oculis domini irritando eum. Posuit quoque idolum luci quem fecerat. Hebraicè habetur. dolatum quercus quod fecit lignea statua significatur. in domo de quod dixerat dominus ad David, & ad Selomonem filium eius, in domo hac & in Ierusalaim quam elegi de cunctis tribibus Israel ponam nomen meum in sempiternum. Et ultra non faciam moueri pedem Israel de terra quam dedi patribus eorum: tantum si custodierint ut faciant omnia quæ præcepit eis, & iuxta totam legem quæ præcepit eis seruus meus Moses. Et non audierunt: sed seducti sunt à Menasse ut facerent malum super gentes. Hebraicè habetur. & errare fecit eos Menasses ad faciendum malum præ gentibus quas deluit dominus à facie filiorum Israel. Sententia eis clara.

Locutusque est dominus in manu seruorum suorum prophetarum dicendo. Quia fecit Menasses rex Iehudæ abominationes istas, faciendo male super omnia. Hebraicè habetur. plus omnibus quæ fecerunt Emori qui fuerunt ante eum. peiora enim dicuntur hæc iniquitatibus gentiū expulsarū. & peccare fecit etiā Iehudā in immundiciis suis. Hebraicè habetur. in abominationibus suis. Propterea sic dixit dominus Deus Israel: ecce ego induco malum super Ierusalaim & Iehudam, quod quicunque audierit tinnient amba aures eius. Et extendam super Ierusalim funiculum Someron & pondus dominus Ach'ab. Sēsūs est quod similem faciet Ierusalim tum Samarię, tū domui Ach'ab. hæc enim deleta est penitus: illa autem in captiuitatem ducta ad ciuitates Medorū. Parabola autem sumitur à fabris vt̄ctibus filo, pōdere plumbeo, vt iuxta mēlurā x̄dificant. & delebo Ierusalim. Rectius legeretur, & expurgabo Ierusalaim. similitudo enim subiuncta huc sensum aperit. sicut doleri solēt tabula, delīs veriā & ducā crebrū stylū super faciem

faciem eius. Iuxta hebreum habetur. sicut expurgabit scutellam, expurgabit & vertet super faciem suam. Ad instar expurgantis scutellas (qui expurgando eas postquam expurgavit vertit eas super faciem earū ne quid humoris in eis remaneat) expurgaturū se Ierusalē cōminatus est per prophetas. Dimitiā vero. Iuxta Heb. habet. & derelinquā reliquias hereditatis mea. Prosecutio est mali pœna: videlicet quod nō custodiet Iudā & Ierusalem reliquias hereditatis sua. deccē enim tribus iam in captiuitate ductæ fuerat: & propterea regnū Iudæ appellatur reliquæ hereditatis Dei. & tradā ea, in manum inimicorum eorū; crūntque in vasitatiæ & in rapinā. Iuxta Heb. habetur. & erūt in prædā & in direptionē omnibus inimicis suis. vt subsecutus p̄bavit euētus. eo quod fecerūt malū in oculis meis. Tres cauta iunguntur supradictæ pœna. prima est multiplicatio malorū ad irritandum Deum ab exitu de Aegypto usque in præfēs: secunda est multitudo effusi sanguinis innoxii, à Menasse: tertia est multitudo peccatorū Menassis quibus peccare fecit populum idola colendo. & perseverauerunt. Iuxta Hebræū habetur. & fuerunt irritatæ me à die qua egressi sunt patres eorum ex Aegypto, usque ad diem hæc. nō enim perseverantia, sed multiplicatus reditus s̄pē ad irritandum Deum significatur. Et etiam sanguinem innoxium effudit Menasses multum valde, donec impleret Ierusalaim usque ad os: præter peccatum cuius que peccare fecit Ichudam, faciendo malum in oculis domini. Reliquum autem verborum Menasse & omnia quæ fecit, & peccatum eius quo peccauit: nōmne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Iehudæ? Dormiuntque Menasses cum patribus suis, & sepultus est in horro domus sua, in horto Huzze. vt̄pote qui non meruit sepeliri cum regibus Iudæ fidelibus. & regnauit Amon filius eius pro eo.

Filius vigintiduorum annorum erat Amon cum regnare cœpit, & duobus annis regnauit in Ierusalaim: & nomen matris eius Melissemeth filia Charuz de Ioba. Fecitque malum in oculis domini, sicut fecerat Menasses pater eius. Et ambulauit in omni via per quā ambulauerat pater eius: seruauitque immundiciis. Hebraicè habetur. abominationibus quibus seruierat pater eius. idola autem significantur: vt patet ex eo q̄ subiungitur. & adorauit eas. Et dereliquit dominum Deum patrum suorum: & non ambulauit in via domini. Peior ethniciis qui in Samaria erant (qui colentes idola etiam summum Deum colebant) describitur. Tenebrantque ei insidias serui sui. Hebraicè habetur. Et coniurae-

QVARTI REG.

gunt servi Amon super eum: & interfecerunt regem in domo sua. SE-
tentia est clara. Percusit autem populus terra omnes qui coniura-
uerant contraregem Amon: & regem constituit sibi populus terre lo-
si iahū filium eius pro eo. Reliquum autem rerum Amon quas fecit:
nōnne scriptum est in libro verborum dierum regum Iehudæ? Sepe-
lieratque eum in sepulchro suo in horto. Huzzæ. Et iste quoque
indignus fuit sepulchro fidelium regum. & regnauit Ios'i iahū
filius eius pro eo.

CAP V T XXII.

Rilius octo annorum erat Ios'i iahū cum regnare copit,
& triginta & uno annis regnauit in Ierusalaim: & no-
men matris eius Iedida filia Hada'ia de Bozæath. Fe-
citurque rectū in oculis domini: & ambulauit per omnes
vias David patris sui, & non declinauit ad dexteram & sinistram.
Et fuit in anno decimo octavo regis Ios'i iahū: misit rex Saphan
filium Azal'i ahū filii Mesullam scribam ad domum domini di-
cendo. Ascende ad Chilci' iahū sacerdotem magnum, ut confestet pe-
cunia. Hebraicē habetur. & finiet argentum illatum in domum
domini. hoc est ut vsque ad finem, ut totum argētum illatum
in domum domini suppatur. summus enim sacerdos & scri-
ba regis officium habebat: ut superius tempore Iosas de-
cretum fuit cap. 12. quam collegerunt ianitores templi. Hebraicē
habetur. custodes maliuui à populo. Ibidem dictum fuit quod
isti erant custodes vas in quo offerebatur pecunia à popu-
lo: & quod euacabant vas in thecam perforatam desuper.
Deturque fabris per prepositos domus domini. Hebraicē habetur.
Et dabunt eam super manum factorum operis, ordinatorum in domo
Iehouah. De sacerdote summo & scriba regis dicitur, & dabut
eam prefectis operis in domo Dei faciendo. & dabunt ipsam
factoribus operis quod est in domo domini, ad instauranda saria re-
cta. Pluries dictum est Hebraicē haberi. ad fortificandum re-
quishionem domus. hoc est ad fortificandum ea quæ requisi-
tione egent (non tam oculi quām operis) in domo Dei. Ti-
gnarii videlicet & cementarii & in qui interrupta componunt.
Hebraicē habetur. Fabri & adificatoribus, & paratoribus, pro-
culdubio materia. Deinde immediate subiungitur. & ad ce-
mentum ligna. Quod autem subditur. & lapides de lapidinio.
Hebraicē habetur. & lapides dolatos. ad différētiā lapidum
qui promiscue ponuntur in fabrica. ad fortificandum domum.
Veruntamen non suppetetur eis argentum datum ad manuē eorum,

sed

CAP V T. XXII.

327

sed in potestate habeant & in fide. Iuxta Hebræum habetur.
quia in fide ipsi faciētes. De prefectis est sermo. & ab exemplo
feruati ordinis tempore Iosas regis & Ioiadæ pontificis ordi-
nauit hoc Iosias.

Dixit autem Chilci' iahū sacerdos magnus ad Sapham scribam,
librum legis inueni in domo domini. tanto enim tempore negle-
cta fuerant diuina tempore Menassis, ut liber legis tanquam
res nouiter inuenta scribatur. deditque Chilci' iahū librum Sa-
phan scriba, qui & legit ipsum. Venitque Saphan scriba adre-
gem, & renunciavit ei quod praeceperat. Hebraicē habetur. &
retulit regi verbum. executum. & dixit, conflauerunt. Hebraicā
dictio anceps est ad colare vel finire: & quia supraposita
dictio significat finire, ideo rectius hic legeretur. finierunt
serui tui argētum inuentum in domo. sacerdos & ego finiuimus
(hoc est ad finem. Atque supputauimus) pecuniam inuentam
in templo. & dederunt ut distribueretur fabris ac prefectis ope-
rum templi domini. Iuxta Hebræum habetur. & dederunt su-
per manū effectorum operis, ordinatorum in domo Iehouah. repe-
tunt enim verba paulo superius scripta: & significatur eos
dedisse pecuniam prefectis ut rex iussicerat. Narrauit quoque
Saphan scriba regi dicendo, libru legi domini dedit mihi Chilci' ia
sacerdos. Superfluit legis domini. legitq; illū Saphan coram rege.

Et fuit cum audisset rex verba libri legi, scidit vestimenta sua. in
execrationem tantæ transgressionis agnitæ ex auditione le-
gis, necnon in horrorem tot taliumq; pœnarum comminata-
rum in lege. Præcepitq; rex Chilci' ia sacerdoti, & Achicam filio
Saphan, & Hatchor filio Mich'aia, et Saphan scriba, & Haf'aia
seruo regis dicendo. Ite, consulite dominum pro me, & pro populo, &
pro toto Iehuda super verbi libri huius qui inuentus est: magna e-
nim est ira domini quæ succensa est contra nos, eo quod non auscul-
taverunt patres nostri ad verba libri huius ut facerent iuxta omne
quod scriptum est nobis. Iuit itaque Chilci' iahū sacerdos & Achicam
& Hatchor & Saphan & Haf'aia, ad Chuldam propheta-
tissimam uxorem Sallum filii Thic'uæ filii Charchā custodis vestium.
Deuotus rex ad consulēdum dominum occiso Esaiā à parte
suo Menasse, mittit ad mulierem solennes valde nuncios.
quauis enim Ieremias propheta per quinquénium antē in-
cepisset habere visiones Dei (anno videlicet tertiodécimo
istius Iosiae regis: ut patet Iere. 1.) tempore tamen illo (vi-
delicet decimo octavo anno eiusdem Iosiae quo repertus est
liber)

QUARTI REG.

Liber) non erat in autoritate apud regem & principes & populum sicut ista mulier, qualitas enim personarum missarum à rege ad eam, testatur fuisse eam tunc in maxima autoritate sanctitatis & prophetiae; & propterea rex ad eam misit, quæ habitabat in Ierusalim in secunda. Dicton hebraica à secunda deriuatur: sed non significat quodcunque secundum sed per modū repetitionis, ita quod latine rectius redderetur in repetitione quā in secunda. Et significatur ad literam quod mulier ista habitabat in Ierusalem quo ad locum, in repetitione autem quo ad officium: quia videlicet repetebat diuina, frequēs enim legis & diuinorum repetitio non solum meditando, sed priuatim instruendo alios, significatur officium eius. locutique sunt ad eam.

Qua respōdit ei: sic dixit dominus deus Israel, dicate viro qui misit vos ad me. Sic dixit dominus: ecce ego adduco Malū super locū hūc et super habitatores eius. Affirmat mulier executurū Deū cōmīnata in lege respondēdo nunciis. omnia verba libri quæ legit rex Ichude. Quæstio oritur ex eo qd in Ierusalē nō fuerūt executioni mādata omnia maledicta legis. Solutio est qd omnia legis maledicta quanuis nō absolute, relata tamen ad merita & demerita Ierusalē adimpta sunt in ea: & cum hoc moderamine intelligēda sunt verba huius prophetiae. Pro eo quod dereliquerunt me & thurificaverunt diis alienis, ut irritarem me in omnibus operibus manuum suarum: succēdetur indignatio mea in locum istum & non extingetur. Prædictit mulier quod instar ignis succensi non extinguendi erit vindicta Dei super Ierusalem: significans per hoc definitam esse apud Deum cōsumptionem Ierusalem. Regi autem Ichude qui misit vos ut consuleretis dominum, sic dicitis: hec dicit dominus deus Israel, pro eo quod audistis verba voluminis. Iuxta Hebræum habetur, sic dixit Ichouah Elohe Israelis verba quæ audisti. Conclusio præcedentium, initium constituitur subiunctorum de ipso rege Iosia in individuo. concludit in primis dicendum esse regi, quod sic diffinitive locutus est deus de Ierusalem verba auditæ, quæ videlicet ipsa dixerat: deinde immediate subiungitur. Pro eo quod mollitum est cor tuum & humiliatus es à facie domini cum audisti quæ locutus sum super locum istum & super habitatores eius. Diriguntur hæc ad personam Iosiae, declarando quod in veritate corā deo humiliauerat se teneracēte corde eius audiendo diuina verba, quod videlicet fierent in stuporem.

Hebraicē

CAPVT XXIII.

327

Hebraicē habetur. vt sint in desolationem & in maledictum. Et vere desolata fuit Ierusalem secundum rem: & fuit in maledictum in sermonibus imprecantium mala, dicendo eveniat scit eu enit Ierusalem, & scidisi vestimenta tua & fleuisti coram me: & etiam ego audiui dicit dominus. Idcirco colligam te ad patrestuos. Considera fructum orationis Iosiae. obstante enim tanta mole scelerum patrum & populi, nō est exauditus pro patria, sed pro persona propria. & colligeris ad sepulchra tua in pace. Nō obstat huic promissæ sepulturæ in pace quod occisus fuerit Iosias in bello. vt sequenti dicitur capitulo: quia ad literam sermo est de pace opposita bello quo destruenda erat Ierusalem: nam de huiusmodi destructione loquebatur multe manifeste. Quanuis etiam non dicatur Iosiae quod morieris in pace, sed quod sepelieris in pace in sepulchris tuis. vt non videas. Hebraicē habetur. & non videbunt oculis tui omnia mala quæ induco super locum istum. Ecce declaratio sepultura eius in pace, quod erit antequam veniant mala efficienda à Deo in civitate Ierusalem: hoc enim fuit ad literam adimpletum. Nec parvum fuit beneficium eximi à visione tot malorū patriæ proprie. cruciatus enim magnus fuisse Iosiae videre tot mala patriæ & templi Dei &c. & retulerunt regi verbum.

CAPVT XXII I.

Mis aueni rex: & congregati sunt ad eum omnes seneſ Ichude & Ierusalaim. Ascenditque rex in domum domini, & omnes vires Ichude & omnes habitatores Ierusalaim eū eo & sacerdotes & prophete & totus populus à parvo usque ad magnum. Accensus rex ad diuina, cū audisset Deum iratum comminantem etiam per mulerē sanctam executurum se in Ierusalem maledicta legis, sperando placare iram Dei bonis operibus populi, præcepit cōgregati vniuersos in templum Dei: & ibidem legi repertū librum audientibus omnibus, & fœdus tenouari inter Deum & populum. legitq; in auribus eorum omnia verba libri fœderis qui inuenitus est in domo domini. Dicit libri fœderis, ut intelligamus nō fuisse lectum totum textum libri Mosis, sed illam partem quæ continet fœdus inter Deum & populum, quæ scripta est in fine deuteronomii. Stetitq; rex super gradum. Hebraicē habetur. super columnam. Locus significatur suffultus columnis in quo rex manebat cum erat in templo. & fadus percussit coram